



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

In Epistol. XXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Aquila Pont. germano) Vide ep. 35. quam ita inscribit: Cha- fol. 45. v. 3.  
 rissimo germano Aquilæ. quem inibi Salisburgensem Ep̄m dixi-  
 mus. quæ coniectura audax nimis videri queat, cum ea ætate nullus  
 Aquila inter Episcopos Salisburgenses reperiatur. Quid ergo huic  
 Aquila faciemus? Inclinaſsem, Abbatem credere, nisi quod & hic di-  
 ſerte Pontifex & ep. 35. Antistes appellatur. Superest, vt coniectu-  
 ræ agatur. nomen mutatione, illi auo frequentissima & solenni,  
 in aliud abiisse; & Aquilam dictum, eo more, quo Alcuinus, Flaccus;  
 Carolus M. David; Ludouicus, Salomon. Quam ego coniecturam,  
 hanc patris audaciam, longius etiam produco. vt Ioannem, qui ante  
 S. Virgilium Salisburgi sedit, Aquila nomine significari existimem.  
 Licet temporum ratio aliquo modo me terreat; patitur tamen opinor.  
 Et schema manifestum est, multo profecto magis, quàm in usurpato  
 Dauide pro Carolo Et si in hac epistola hæc verba (olim patri Aquila  
 Pontifici, germano meo, pascori vestro iniungere studui)  
 ita accipimus, vt olim cum patri, & non cum studui coniungimus,  
 erit id ipsum, quod in Salisburgensi catalogo legitur, Ioannem Abba-  
 tem S. Petri fuisse, ante Episcopatum initum. Verum de hoc quisquæ  
 volet statuat.

Diuersæ nunc hæreses) Felix Vrgelitanus & Eliphantus fol. 46. v. 6.  
 Toletanus Episcopi hæresim excitarunt, Christum secundum Huma-  
 nitatem adoptiuum Dei Filium esse asserentes; quæ hæresis multos,  
 præsertim in Hispania, tempore Caroli Magni peruertit. An ab hac  
 hæresi Bauaria periculum imminet? quod Alcuinus tam anxie hor-  
 tatur Iuuauenses, vt caueant. Iuuauiam enim & Otto Frisingensis,  
 urbem Bauaria vocat. Imo Felicianæ hæresis Reginoburgi vrbe Ba-  
 uaria damnata est, vt habent Annal. Franc. anno 792.

## IN EPISTOL. XXI.

Eboracensis) In Eboracensi Ecclesia Alcuinus enutritus & eru- fol. 47.  
 ditus fuit, vt ipse ait apud Continuatores Bedæ lib. 1. cap. 9. &  
 infra epist. 24. Dilectissimæ Eboracensis Ecclesiæ fratribus,  
 eiusdem



eiusdem piæ matris filius Alcuinus. *Et in hac ipsa epistola 22.* Vos fragiles infantia meæ annos materno fouistis affectu, & lascium pueritiæ tempus, pia sustinistis patientia, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edoculistis ætatem, & sacrarum eruditione disciplinarum roborastis. *Et paulo post:* Cuius infantiam aluistis.

fol. 48. v. 21.

Eius senectutem sepeliatis) *Oprauit quidem in Eboracensi monasterio consensere & sepeliri: sed ubi obierit, habet VVillim. Malmesburiensis lib. 1. Reg. Angl. cap. 3.* Iacet in Francia apud S. Paulum de Cormarico: quod cœnobium Carolus Magnus eius consilio construxit: vnde hodieq; quatuor monachorum victus & potus pro eiusdem Alcuini anima quotidiana infertur eleemosynæ in eadem Ecclesia.

25. Puer noster Seneca) *Visionem tangit aliquam, opinor, patri cuiusdam, cui Seneca nomen fuerit, in cœnobio Eboracensi.*

## IN EPISTOL. XXII.

fol. 50.

S. Leodegarij seruientibus) *Videtur hæc Epistola scripta ad Augustodunenses: fuit enim S. Leodegarius Augustodunensis Episcopus.*

fol. 50. v. 8.

Frater, ille, attulit) *Pro incerto nomine olim, ille, scribatur, ut nunc fere litera, N. ut patet ex epistola. 16. & 28.*

19. Potatur calice) *Alludit ad illum morem, quo nomine & amore Sanctorum, benedictionis adipiscendæ ergo bibebant. De quo more auctor lib. de miraculis S. Vdalrici cap. 10. editus à nobilissimo & eruditissimo viro M. Velfero. In auxilium eius S. Vdalrici firmiter ubiq; confidens, in recreatione sua pro amore eius frequenter bibebat, & alios bibere postulare consuevit. Lege ibid. cap. 11. 12. 13. Priscus hic mos & probus, quamdiu intra temperantiæ limites. Nam Sanctorum appellatio, reuerentiam & imitationis studium iniecit. At & hic mos ab improbis aliò ductus, quem prauo abusu & abrioforum licentiâ in deterius lapsum reprehendit S. Augustinus de Temp*